



## **Codex diplomaticus Brandenburgensis**

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für  
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche  
Haus-Angelegenheiten

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1861**

303. Heiraths-Vertrag zwischen dem Könige Siegmund von Polen und  
Brandenburgischen Gesandten über die Vermählung des Kurprinzen  
Joachim mit der Polnischen Prinzessin Hedwig, vom 21. März 1535.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56615)

303. Heiraths-Vertrag zwischen dem Könige Siegmund von Polen und Brandenburgischen Gesandten über die Vermählung des Kurprinzen Joachim mit der Polnischen Prinzessin Hedwig, vom 21. März 1535.

Sigismundus, dei gratia Rex polonie, Magnus dux Lithuanie, Ruffie Tociusque Pruffie, Massouie etc. Dominus et Heres, Et Georgius, dei gratia Episcopus Lubucensis et Ratzburgensis, Guntherus, Comes et dominus in Schwartzburg, Joannes Gans, dominus in Potlitz, Fabianus Funck, prepositus Berlinensis, Legati cum plena auctoritate et sufficientibus mandatis, Illustrissimi Principis et domini, domini Joachimi senioris, Marchionis Brandenburgensis, Sacri Romani Imperij Archi-Camerarij, Principis Electoris, Stettinensis, Pommeranie, Schlanorum et Castellorum ducis, Burggrabij Norenbergensis et Rugie principis et domini Joachimi Junioris, Marchionis Brandenburgensis etc., Significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quod cupientes necessitudinem inter nos dictum Sigismundum, Maioresque nostros Reges Polonie et Illustrem dominum Marchionem Brandeburgensem pridem initam longoque vsu et mutuis officijs auctam atque confirmatam stabilem esse et perpetuo nouo affinitatis vinculo eam roborandam et deuinciendam duximus. Nam nos Sigismundus, dei gratia Rex polonie, Magnus Dux Lithuanie, Ruffie tociusque pruffie ac Masouie Dominus et Heres Illustri Principi domino Joachimo Juniori, Marchioni Brandenburgensi, per memoratos nuncios suos ambienti, Illustrissimam principem et virginem Hedwigem, filiam nostram primogenitam eandemque Charissimam despondimus secundum ea pacta atque conuenta, que sequuntur nostro Regis et dictorum nunciorum cum plena auctoritate et sufficientibus mandatis vtriusque Illustrissimi domini Joachimi, Marchionis, primi et filij nomine missorum consensu et voluntate transacta. Principio vt Illustrissima princeps et virgo Hedwigis, nostra Regia filia, et Illustrissimus princeps dominus Joachimus, iunior Marchio, presentes inter se matrimonium contrahant, secundum morem et functiones Ecclesie Catholice idque Cracouie, anno domini Millesimo Quingentesimo Tricesimo quinto, die et tempore alijs litteris nostris Regijs designando, quo Illustrissimi domini Marchiones predicti aut saltem alteruter eorum nempe Junior de magnis quibusdam et arduis negocijs nobiscum tractaturus veniet laute et magnifice, vti et nobis et illo dignum est, cum vniuerso Comitatu suo, a nobis accipiendus atque tractandus atque ibi tum nos dictam filiam nostram Charissimam cultu et ornatu corporis splendide et vt regiam filiam decet ornatam in matrimonium et ad coniugalis thori societatem trademus. Dominus vero Joachimus, iunior Marchio, eam peractis nupcijs vti coniugem suam legitimam accipiet et ad ditiones suas secum abducat. Item nos Sigismundus Rex eidem Illustrissimo domino Marchioni Joachimo iuniori genero et filio nostro Triginta duo Milia aureorum Hungaricalium boni et iusti ponderis dotis nomine dare debebimus et verbo nostro Regio per presentes



litteras nostras promittimus, sed ita vt sedecim milia aureorum confestim peractis nupcijs Cracouie numeremus, Reliquorum vero sedecim milium dimidium Hoc est octo milia aureorum peracto anno integro a celebratione nupciarum et reliqua octo milia peracto biennio ab earundem nupciarum celebratione Polnane numerari et persolui faciemus, aut si, quod deus auertat, nos fatis concederemus Successores et Heredes nostri persolui facient nunceijs eiusdem domini Marchionis, qui ad eam pecuniam accipiendam mittentur. Ipsi vero nunceij debebunt ijs a quibus nomine nostro dictam pecuniam accipient quietancias dare sub Sigillo dicti domini Joachimi iunioris Marchionis, Pro secunda quidem rata super ea summa quam acceperint pro vltima vero super vniuersa dote triginta duorum milium aureorum. Nos vero dicti Legati secundum eam auctoritatem quam in hoc negocio plenam et nullis limitibus circumscriptam ab vtroque domino Marchione patre et filio habemus in compensationem modo descripte dotis promittimus et spondemus dominum Joachimum, Seniore Marchionem, domino Jochimo, Marchioni, filio suo, tantum ditionum dominiorum, Arcium, Ciuitatum, Oppidorum, Villarum et possessionum, quarum nomina hinc pro expressis habere volumus, de quibus annui prouentus atque redditus vsque ad triginta milia aureorum Hungaricalium proueniant, cum Vniuersis et singulis homagijs, Homagialibus, feudis, feudatalibus, Vafallis, sernicijs, Nobilibus et colonis, ad hec iuribus, iurisdictionibus, proprietatibus, usufructu, subiectionibus, dominijs tam meris quam mixtis, cum censibus, Thelonijs, Vectigalibus atque adeo omnigenis prouentibus et attinencijs in fortem et hereditatem ipsius legitimum et perpetuam pacate, tranquille et absque vlllo impedimento obtinendam et regendam atque vtifruendam assignaturum et inscripturum esse. Item in compensationem dicte dotis Triginta duorum milium aureorum Nos prenominati nunceij nomine vtriusque domini Marchionis patris et filij donamus alia Triginta duo milia aureorum Hungaricalium boni et iusti ponderis ratione dotalicij, quam dotem vna cum dotalicio, nimirum sexaginta quattuor Milia aureorum Hungaricalium boni et iusti ponderis, pronominate Illustrissime Virgini domine Heduigi regie filie indicamus, inscribimus, assignamus et addicimus Super toto Comitatu Ruppinenfi cum omnibus ipsius dominijs, Arcibus, Ciuitatibus, oppidis, ab omni alia obligatione et inscriptione liberis. Arces vero iste sunt Antiqua Ruppin, Goltbeck, Neustadt, Ciuitates Noua et antiqua Ruppin, Granfoye, Wasterhausen, Neustetlein, Wiltperg, Goltbek cum omnibus villis, predijs et omnifarijs possessionibus, proprietatibus atque usufructibus, Thelonijs, vectigalibus, domibus, frumentarijs, Nemoribus, vineis, iudicijs atque vniuersis censibus et redditibus, vsibus, penis, Homagijs, feudis, piscationibus, foris et foralibus, Siluis, venationibus, aquis, iuris patronatibus et collationibus officiorum, dignitatum et beneficiorum, tam secularium quam spiritualium atque ecclesiasticorum, curatorum vel cura vacancium et breuiter cum omnibus rebus citra vllam exceptionem ad easdem arces, Ciuitates et oppida quocumque modo pertinentibus harum litterarum vigore, sed ea tamen lege, vt quotannis a singulis quindecim aureis Hungaricis dotis et dotalicij et donationis propter



nupcias, que Germanice morgengab appellatur, faciendo vnum aureum Hungaricum in annuis censibus habere possit. Quod si iste possessiones, utpote Arces, Ciuitates etc. que nunc recensita sunt, minus haberent annuorum censuum, quam a sexaginta quattuor milibus aureorum Vngaricalium et a summa donationis propter nupcias a dictis dominis Marchionibus patre et filio facienda et inscribenda iuxta expressam estimationem prouenire posset, debebunt dicti domini Marchiones pater et filius alia bona et possessiones, de quibus dicte estimationis summa — perfecte atque plene prouenire possit, dicte Illustrissime domine Hedwig, regie filie, dare, assignare, addicere et inscribere. Quod si contingat, ut in huiusmodi bonis prouentus annui debitam summam inscriptionis, dotis, dotalicij et donationis propter nuptias excrescant, non debebunt Heredes domini Marchionis illam excrescentem summam pro se repetere, sed prefate Illustrissime Hedwig relinquere percipiendam. Et nos Sigismundus Rex poterimus arbitrato nostro ad enumeratas et inscriptas arces, Ciuitates, oppida, possessiones, dominia atque bona nuncios et oratores nostros, quoties nobis videbitur mittere et allegare. Deinde omnes prefati Burggrabij et officiales atque subditi dictorum dominiorum, Arcium, Ciuitatum et oppidorum atque pagorum eidem Illustrissime Principi, domine Hedwig, Regie filie, dotis, dotalicij et donationis propter nuptias faciente nomine assignatorum et inscriptorum, assignandorumque et inscribendorum, tam hij, qui nunc viuunt, quam eorum posterij, debent eidem Illustrissime principi domine Hedwig aut eius officialibus et procuratoribus homagia et iusiurandum fidelitatis dare quocienscumque opere precium fuerit ipsamque aut successores ipsius legitimos in sepe recensita dote dotalicio et donatione propter nuptias aduersus quoslibet, qui eam aut heredes eius in his impedire conarentur, tueri et defendere. Item Si dominus Joachimus Marchio Junior post coniugalem coniunctionem atque consuetudinem prius quam dicta domina Hedwig, Regia filia, moreretur, debebit eadem domina Hedwig dictas arces, Ciuitates et possessiones vniuersas cum ipsorum attinencijs quoad viuet possidere ac utifruij absque vlla alienatione. Quod si illa etiam deinceps vitam cum morte commutaret, vniuerse iste possessiones toties iam repetite, in quibus dos cum dotalicio et donatione propter nuptias inscripta est, vel inscribetur, post hoc veris et legitimis liberis ipsorum amborum Nempe domini Joachimi iunioris, Marchionis, et domine Hedwig, nostre Regie filie, integre permanere debebunt. Si autem dicta domina Hedwig, regia nostra filia, domino Joachimo iuniori, Marchione, coniuge suo relicto superstite absque liberis communibus decederet, dos illa triginta duorum milium aureorum Vngaricalium ad nos Sigismundum Regem aut successores nostros Reges polonie redire debebit, cuius solucio eodem modo iisdem locis eodemque temporis decursu atque eisdem ratis, quibus dos persoluta est, nempe intra bienium illico post mortem ipsius domine Hedwig, Regie nostre filie, fieri debebit. Quod si illustrissima domina Hedwig, Regia nostra filia, domino Joachimo iuniori, Marchioni, superstes esset, siue cum liberis siue absque liberis communibus et legitimis, et secundas adiret nupcias alijque viro nuberet, integrum erit Heredibus



dicti domini Joachimi iunioris Marchionis quouis anno ad ferias purificationis beate Marie virginis vel duabus septimanis vltra citraue eadē arces, Ciuitates, cum vniuersis possessionibus a dicta Regia nostra filia Sexaginta quattuor milibus aureorum Hungaricalium et summa donationis propter nuptias inscripte vel inscribende redimere atque liberare, sed tamen semel in vniuersum ac non particulatim. Quocumque vero anno ea bona vellent redimere, debebunt id ipsi ante ad festum sancti Michaelis vel octo dies vltra citraue litteris suis, patentibus Significare atque denunciare, deinde vero ad proximas ferias purificationis sancte Marie sic, vti prescriptum est, redimere cui redemptioni ipsa Hedwigis, regia nostra filia, non aduerfabitur, Verum ea lege vt illa summa triginta duorum milium aureorum Hungaricalium dotalicij nomine et altera summa donationis propter nuptias, quam Germani morgengab vocant, in Marchia brandenburgense vel in alijs prouincijs heredibus domini Joachimi, Marchionis, subiectis super arcibus, bonis, possessionibus atque censibus voluntate et permisso heredum vel successorum ipsius domini Joachimi Marchionis iunioris ponatur. Quod si ea emptio bonorum pro enumeratis summis ad dominum Marchionem Brandenburgensem attinentibus in Marchia Brandenburgensi aut ditionibus eorundem heredum commode fieri non posset, tunc ee summe illorum sciencia atque voluntate ad fideles manus deponentur, donec dicta emptio vel positio facta fuerit aut ipsa Hedwigis, regia nostra filia, Heredibus et successoribus domini Joachimi iunioris Marchionis satis abunde cauerit, Vt ijdem heredes et successores domini Joachimi iunioris Marchionis eadē summas dotalicij et donationis propter nuptias post mortem ipsius Regie filie nostre citra negocium consequi possint, quam cautionem cum dicti Heredes et successores domini Joachimi acceptauerint, liberum erit eidem Hedwigi, regie filie nostre, dictis summis dotalicij et donationis propter nuptias pro arbitrio suo vti et conuertere. Porro autem si dicta Hedwigis, Regia nostra filia, domino Joachimo iuniori Marchioni coniugi suo superstes erit, debet recipere et consequi omnia parafernaliam vestes, vasa, clenodia et vniuersam mensam sue supellectilem siue auream siue argenteam vel a nobis Rege patre vel a domino Joachimo marito suo vel aliunde quocumque modo seu donatum seu suis impendijs comparatam habet. Item omnia lectisternia, in quibus cum dicto domino Joachimo suo cubare solita est, Preterea omnem corporis sui cultum omniaque quecunque ad cameram et curiam eius spectant, queque ad amborum vsum pertinuerunt atque his contenta esse debet ad alia nullum ius habitura. Ceterum si dominus Joachimus iunior Marchio clenodia, vasa aurea vel argentea, vestes aut aliam quamcunque supellectilem eiusdem Regie nostre filie, quam vel a nobis Rege vel a quocumque alio habet vel ipsa sibi comparuit distrahere vellet, quod tamen non nisi graui vrgente necessitate fieri debet, estimabuntur ee res ab arbitris Vtriusque partis, vt iustum et equum erit, antequam de manibus eius accipiantur, et posthec per heredes ipsius domini Joachimi Marchionis iunioris iuxta premissam estimationem soluentur. Quod si dicta nostra



Regia filia absque prole decederet, prius quam ee res accepte ipsi perfolute essent, debebunt nobis Regi aut successoribus nostris Regibus polonie mox post mortem eiusdem regie filie nostre in decursu trium mensium perfolui et polnanie apud factores nostros per nos aut successores nostros ad hoc deputatos plenarie deponi. Item munus propter nuptias, quod Morgengabe vocant, quod dominus Joachimus iunior Marchio dicte Regie filie nostre vxori sue post coniugalem coniunctionem donauerit et assignauerit, debet ei pariter cum enumeratis summis dotis et dotalicij assignari et inscribi, ita vt inde annuos redditus iuxta superiorem estimationem illa habeat tam viuente dicto marito suo quam mortuo. Ipse vero dominus Joachimus iunior Marchio de ea donatione propter nuptias facienda pariter cum domino Joachimo patre suo patentibus litteris cauere debet et eas litteras apud nos Regem polonie aut successores nostros Craconie mox post consumatas nuptias reponere. Quod vero attinet ad redemptionem bonorum, que Regie nostre filie assignata et inscripta sunt, idem intelligi debet de donatione hac propter nuptias, quod de summis dotis et dotalicij supra scriptum est. Quoniam vero dicta Hedwigis, Regia nostra filia, auunculum habet Serenissimum dominum Joannem, Regem Hungarie, si is sine prole et suis heredibus decederet atque eius bona legitime et jure hereditario ad eandem dominam Hedugin neptem ipsius ex sorore deuoluerentur, Nos Sigismundus Rex promittimus, nos opera et consilio nostro dominum Joachimum iuniorem Marchionem, generum et filium nostrum Charissimum, et coniugem ipsius filiam nostram Regiam eorumque successores ab ambobus progenitos in consequendis his bonis adiuturos esse, sed nihil tamen derogando prioribus inscriptionibus. Porro si, vt est hominum genus fragile et varijs Casibus obnoxium, alteruter horum coniugum ante celebratas et consumatas nuptias ex hac vita, quod deus auertat, migraret, omnia hec pacta atque conuenta irrita et nullius momenti esse debebunt, Neque alterutra pars alteri horum pactorum atque harum transactionum nomine quidcunque erit obnoxia. In cuius rei euidentis testimonium scripte sunt bine littere eodem exemplo et nostris Regis Sigismundi et ante recensitorum legatorum Vtriusque Illustrissimi domini Joachimi, Marchionis, patris et filij, sigillis vnus cuiusque ob signate. Quare nos Georgius, dei gratia Episcopus Lubucensis et Ratzburgensis, Gunterus, Comes et dominus in Schwartzburg, Joannes Gans, dominus in potlist, fabianus funck, prepositus Berlinensis, cum plena auctoritate et sufficientibus mandatis Legati Illustrissimorum principum et dominorum, domini Joachimi senioris et domini Joachimi Junioris Marchionis Brandenburgensis etc., Recognoscimus et profitemur tenore presencium Nos hec omnia, vti scripta sunt, cum Serenissimo principe et domino, domino Sigismundo, Rege Polonie, Magno Duci Lithuanie, Russie tociusque prussie ac Masouie domino et Herede domino nostro clementissimo transegisse promittimusque verbis vtriusque domini Marchionis dominorum nostrorum omnia hec et singula rata et grata habitum et obserua-



tum iri absque malo dolo. In Cuius rei testimonium Sigilla nostra vna cum sigillo annulari Serenissimi Regis Polonie etc. his litteris appendimus, Presentibus Illustrissimo Principe, domino Alberto, dei gratia Marchione Brandenburgense, duce pruffie, Reuerendissimo in Christo patre domino Joanne Choiensky, Episcopo Premillienfi et magnifico domino petro de opalinitza, Castellano Laudensi et Magistro Curie Serenissimi Regis iunioris, per quos hec pacta atque conuenta tractata est transacta sunt. Actum et datum Vilne, Vigesima prima Martij, Anno domini Millesimo quingentesimo Tricesimo quinto.

Sigmundus, Rex Polonie, subscriptit.  
Georgius, Episcopus. Guntherus, Comes.  
Joannes Gans.

Fabianus Funck,  
prepositus Berlinensis.

Nach dem Churmärkischen Seheucopyalbuhe VI, 143.

304. König Siegmund von Polen ermahnt den Markgrafen Wilhelm, Coadjutor zu Riga, sich mit dem Stifte möglichst zu einigen, am 13. Mai 1535.

Reuerendissime et Illustris Princeps, Nepos noster Charissime. Etfi erat Nobis non nihil et scriptum et narratum de Paternitate Vestra, tamen id Nos in eam partem accepimus, ut plus commodi, quam incommodi inde ad Paternitatem Vestram perventurum esset: summa enim cura atque diligentia dedimus operam, ut primo quoque tempore pestiferas istas et Nobis odiosas dissensiones et simultates, que inter Paternitatem Vestram et Ordinem Livoniensem exorte sunt, componeremus. Tametsi hactenus effectus voluntati nostre non respondit. Nunc iterum Legatum ad Magistrum et Ordines Livonie allegamus ad ferias divi Joannis Baptiste isthic adfuturum, et in Corona Procerum de fopendis istis dissidiis concordiaque ineunda diligenter acturum verbis nostris, cui etiam in Mandatis dedimus, ut quantum potest ad eam concordiam honestis conditionibus fanciendam, consilio et persuasione sua adiuvet. Itaque et Paternitatem Vestram postulamus, ut se facilem hac in re prebeat, magnamque habeat temporis et rerum presentium rationem, ita ut ne per Paternitatem Vestram stetisse videri possit, quominus Pax et Concordia coiverit. Quod nos attinet cure nobis erit, ut honorem atque benignitatem Paternitatis Vestre et Patris ipsius Domini Archiepiscopi, simul et Rigenfis Ecclesie incolunitatem semper sartam tectam ita, uti convenit, conservemus.